



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 3. Bonos è mala terra bonam, malos etiam è bona malam facere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Cic. in  
orat. ad  
senat.  
post redi-  
rum.

debilitata est. *Qui locus, ut ait idem, alic*  
*loco, propter ubertatem agrorum, abundan-*  
*tiamq; rerum omnium. superbiam & creduli-*  
*tatem genuisse dicitur.* Immo luxuries Anni-  
balem ipsum Capuæ corrupit, & exercitū  
illius effeminavit. Adeo quem non potuit  
ferrum emollire, quem nulla vis telorum  
frangere, nec fortissimus hostis quiuit fa-  
tigare, succubuit amœnitate terræ supe-  
ratus. Quamobrem prouide olim monuit

Deuter. 8.  
11.

legislator ille: *Obserua, & caue, ne quando*  
*obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas man-*  
*data eius atque iudicia, & ceremonias, quas*  
*ego præcipio tibi hodie: ne postquam comederis,*  
*& satiatus fueris, domos pulchras edificaueris,*  
*& habitaueris in eis, habuerisq; arma bouum,*  
*& ouium greges, argenti & auri copiam, eleue-*  
*tur cor tuum, & non reminiscaris Domini*  
*Dei tui.* Itaq; adeo inter mala non est nu-  
meranda mala terra, ut etiam beneficium;  
& terra fœcunditate nobilis, præcipitium  
virtutis esse possit, inducereque in Dei  
obliuionem.

§. III.

*Bonos è mala terra bonam; malos etiam*  
*bona malam facere.*

Quanquam nec illud mihi propositum  
est,

est, retractare, quod supra dixi, Paradisum, terram Gessen, & regionem Chanaan, à beneuolente Deo Hebræis esse consignata. Multis Deus dicit, quod Isaac dixit ad Iacob: *Det tibi Deus de rore cali, & de pinguedine terra, abundantiam frumenti & vini.* At dixit Isaac etiã ad Esau: *in pinguedine terra, & rore cali desuper erit benedictio tua.* Pari pacto Deus nunc malis, nunc bonis bonã; & non rarò etiam bonis & malis malam largitur terram. Bonã boni vtuntur, mali abutuntur. Ex mala boni bonam faciunt; mali ostendunt se malos. Quo pacto ait Salomon: *Per agrũ hominis pigri transiui, & ecce totum repluerant vrtice; quas aratro contundere debuisset; vt agrum subactum fimoque saturatum in fructum educeret.* Sed *de stercore bonum lapidatus est piger, qui cum haberet, vnde agros pingues redderet, maluit inopiam pati.* Siquidem *omnis piger, semper in egestate est.* Ast homo sedulus, in sterili solo, demonstrat, industriam remedium esse sterilitatis. Et, quia, vt Serenus Abbas, apud Cassianum, ait, *Nulla virtus sine labore perficitur*, homo sedulus eadem operã & virtutem aratro, & agrũ exercet: inde diues, vnde desidiosus egestatem patiuntur.

Gen. 27.

28.

Ib. v. 39.

Prou. 24.

30.

Prou. 10.

5.

Prou. 20.

4.

Cassian.

collat. 7.

cap. 6.